



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XIV. De potestate concedendi indulgentias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

communicatur, seu reconciliatur, per Scripturam accusari, vel reconciliari jubetur. Et sic in cæteris hujusmodi in tantum scriptura deposcitur, ut sicut B. Gregorius in commonitorio ad Johannem Defensorem ex Romanis legibus sumens scribit, Sententia que sine scripturâ præfertur, nec nomen sententia habere mereatur. Refertur à Gratiano c. Legum 2. q. 1.

XXVII. Plura alia de pœnitentiâ publicâ, & reconciliatione pœnitentium eruditè ex veterum scriptis congefferunt Dionysius Petavius speciali diatribâ, quam inseruit notis ad Epiphan. pag. 225. seqq. itemque Jacobus Sirmondus tom. 3. opusculor. quæ tamen ita legenda sunt, ut perpetuus habeatur respectus ad ea, quæ in sacro Codice præscripta sunt. Optimè enim Cyprianus lib. 2. epist. 3. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed veritatem. Plura non addam, eò quod historicè tantum nunc recenseamus ea, quæ antiquitus obtinuerunt, nec solliciti simus, quàm benè maleve singula constituta aut recepta fuerint.

## CAP. XIV.

### De Potestate concedendi indulgentias.

#### I.

**A**D potestatem clavium referri solet hodiè potestas largiendi indulgentias, quam quidem plenissimam tribuunt Pontifici Romano, adstrictum magis Episcopis reliquis. Quare autem non etiam Sacerdotibus reliquis? qui tamen non minus ligare atque solvere possunt, ac Episcopi. Sed enim, ut reliquos hic excludant ministros Ecclesiæ, ad vulgaram suam distinctionem confugiunt Canonistæ, quâ potestatem jurisdictionis aliam faciunt à potestate ordinis, & liberalitatem indulgentiarum non ex hâc ultimâ, sed priore illâ ortum habere somniant. Quod perinde est, ac si dicere quis vellet, sacerdotem, cui data est potestas remittendi peccata & poenam propter illa promeritam, non habere potestatem conferendi indulgentias: & vicissim, conferre posse indulgentias, qui non habeat potestatem remittendi peccata, qui nullum habeat sacrum ordinem, qui que nec Sacerdos sit, dummodo habeat potestatem jurisdictionis. Quæ certè *absurda* sunt, & causam produnt divinis literis parùm convenientem.

II. Ut perfungamur isto, quem in hoc capite suscepimus, labore, unicum id ostendere sufficiet, admodum recentem & veteribus planè igno-

tam

tam fuisse potestatem indulgentiarum. Hoc enim probato, causæ nihil erit, cur in eâ explicandâ immorari oporteat, quod propositum nobis sit, ea tantum, quæ ex divinis literis aut purioris Ecclesiæ placitis Episcopo competunt, axiomata recensere & ex veterum memoriarum libris illustrare. Quæ recentia sunt, & à pristina morum doctrinâ atque disciplinâ recedant, ipsâ sui novitate se suspecta reddunt. Nec enim negari potest, patres nostros recentibus & postremis retrò seculis in summam ignorantiam delapsos, atque à Scripturis, tum & ab omnibus eruditionis comparandæ subsidiis violenter abductos fuisse, nec adeò, quæ credi oporteret, quæque ex humano commento & insullis ad superstitionem promovendam fabulis publicè docerentur, promptè discernere potuisse. Dixerat Eutyches in Concilio Calchedonensi *act. 1.* Sic à progenitoribus meis accipiens credidi, in hac fide genitus sum, & consecratus DEO, & in eâ opto mori. Sed hæc professio non liberabat dogma ejus ab hæresi, quam fovebat, quemadmodum nec Anxentium Arianum ab hæreseos notâ absolvere poterat quod diceret: *Quemadmodum ab infantia edoctus sum, ita credidi & credo*, uti refert Hilarius Pictaviensis *adversus eund.* Sic etiam Judæi idololatræ Hieremiæ Prophetæ restiterunt dicentes: *Sic fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & principes nostri & saturati sumus panibus, & benè nobis erat.* Jeremie XLIV. DEUS autem illis dixerat: *In statutis patrum vestrorum nolite ambulare &c.*

III. In hunc verò censum optimo jure refertur doctrina de indulgentiis. Quanquam enim à majoribus nostris recepta, & summâ cum superstitione custodita ea fuerit, hoc tamen suo patrocinio efficere non potuit, ut retineretur ab Ecclesiâ puritati restitutâ, & unicè verbo divino se sustinente, præsertim postquam constabat, frustra eam ex antiquitate sibi petere præsidium. Scripserat Martinus Chemnitius in *exam. Concil. Trid. part. 4. c. 4.* in hæc de indulgentiis disputatione non posse vel ulla patrum testimonia, vel veteris Ecclesiæ exempla proferri, quod usus talis indulgentiarum ullo unquam tempore usque ad annos post natum Christum mille ducentos in veteri Ecclesiâ fuerit. Id malè habet Johannem Busæum in *comment. ad Petri Blesensis tr. de itinere Hieros. accel.* & facit, ut calamum in Chemnitium stringat, doceatque, longè antiquiorem indulgentiarum fuisse usum. Videamus, quàm benè. Provocat autem ad ipsius Petri Blesensis verba, in quæ suum adornat commentarium, & sic habent: *Principes & magnates terre signum crucis nuper accepérunt; privilegio siquidem Petri Apostoli & auctoritate Ecclesiæ generali proposuerat Dominus in hoc signo verbum reconciliationis, ut via Jerosolymitane assumptio esset pœnitentiæ consummata & sufficiens satisfactio de commissis.* Quanquam in his verbis de indulgentiis, ut vulgò hodiè explicari solent, disertè nihil habeatur, non cre-

dendum tamen est Petro Blesensi, Scriptori recentiori & ævi à priscâ sinceritate remotioris, asserenti, in signo crucis per privilegium Apostoli Petri verbum reconciliationis contineri; & neque hoc quidem, susceptionem itineris Hierosolymitani pœnitentiam esse consummatam, & sufficientem satisfactionem de commissis. Melior hic longè Gregorius Nyssenus in *epist. de euntib. Hierosolyma*. Is ipse autem, cujus mentionem facit Blesensis, cruce signandi ritus recentior est, quàm ut ab Apostolo Petro originem ejus petere liceat. Nempe in Hierosolymitanis expeditionibus illis seculis receptum erat, ut crucis signum vestibus & fronti imprimeretur. Indulgentias autem accipit Chemnitius in significato tali, qualem exhibent earum encomiastæ, quod scilicet propter opera supererogationis olim à Sanctis præstita & pœnitentibus applicata extinguant illæ pœnas purgatorii aliàs subeundas. Non ergò, si quando in veterum scriptis indulgentiæ vocabulum occurrat, illicò inferendum est, acceptum id fuisse in significato hodiè usitato, & noviter conficito.

IV. Quod si vel maximè antiquior aliquis talium indulgentiarum usus probari possit, non tamen antevertet ille seculum undecimum, & nec institutum fortè Urbani II. Pontificis Romani, qui, cum militia sacra & expeditio in terram sanctam adornaretur, pro stipendio indulgentias amplissimas exposuit, quod factum seculo undecimo exeunte. Nec immeritò igitur suam censuram in Germaniâ passum est decretum Tridentinum, quod in temperandis abusus veterem & probatam consuetudinem observari debere voluerit. Sic enim arguebant Protestantes, certum esse neque dissimulari posse, in Ecclesiâ Orientali cujuscunque nationis Christianæ, neque antiquis temporibus neque ultimis ullum fuisse usum indulgentiarum cujuscunque generis; & in Occidentali, si nomine veteris consuetudinis intelligenda sit illa, quæ observata ante Urbanum II. usque ad annum MXXV. nullas, quod quisquam sciat, aut fidem facere possit, indulgentias in usu fuisse. Ab illo tempore usque ad annum MCCC. earum aliquem ulum apparere, sed infrequentem & duntaxat pro liberatione à pœnis per Confessorem impositis. Ex eò tempore qui abusus inveteraverint, è Concilio Viennensi cerni posse; qui usque ad Leonem X. creverint in immensum. Hæc Protestantium sententia, uti eam exposuit Petrus Svavis in *hist. Concil. Trid. lib. 8.* enucleatè petita est ex historiâ Ecclesiasticâ.

V. Sed videamus, quid ipsi de antiquitate suarum indulgentiarum censeant Latinæ Ecclesiæ Doctores. Fatentur, qui apertè & ingenuè rem agunt, ex Scripturâ sacrâ nullum eis peti posse præsidium. Sic enim Sylvester Prioris sacri palatii Magister & primus Lutheri antagonista: *Indulgentiæ autoritate Scripturæ non innotuere nobis, sed autoritate Ecclesiæ Romanæ,*  
Roma

Romanorum pontificum, quæ major est. Similiter Johannes Major in 4. sent. dist. 20. q. 2. De indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia Scriptura de illis expressè non loquitur. Nam quod dicitur Petro: Tibi dabo claves &c. certum est quod oportet intelligere illam auctoritatem cum sale. Idem Johannes Major ne quidem ab antiquis Doctoribus causam suam juvari profiteatur: Apud Hilarium, inquit, Hieronymum & Augustinum & breviter ante Gregorium primum de indulgentiis in significatione, quæ quarimus, nihil legimus unquam. Postea addit: Nec juvat dicere, locus à non legitur negativè, est nullus, quia tempore eorum maxima in divinis Scripturis erat exercitatio, & studium continuum, & aliquid fuisset ab eis positum, si expressè locum in novo Testamento haberent. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tractatum de indulgentiis, quem edidit & Cardinali Julio Medici inscripsit, hunc in modum orditur: De ortu indulgentiarum si certitudo haberi possit, veritati indagandæ opem ferret; verùm nulla sacræ Scripturæ, nulla præscorum Doctorum Græcorum aut Latinorum auctoritas scripta hunc ad nostram deduxit notitiam. Sed hoc solum à recentibus annis scripturæ commendatum est de vetustis patribus, quod D. Gregorius indulgentias stationum instituit. Pari modo velut singulare aliquid annotavit Dominicus Soto 4. sentent. dist. 20. Neque apud Augustinum, Hieronymum aut alium illius classis sanctum Patrem ulla indulgentiarum memoria reperitur, & quod multum movet, neq; Petrus Lombardus diligens sententiarum Patrum Collector, ullibi de indulgentiis meminit. Hunc probationum defectum cum animadvertisset Petrus à Soto in instruct. Sacerd. lect. 1. de indulg. suos admonet religionis socios, ne minus certis innitantur, & addit, se antiquæ & primitivæ Ecclesiæ certa non habere testimonia.

VI. Dilucidè magis fontes & originem indulgentiarum exponit insignis Lutheri Antagonista Johannes Fischerus Episcopus Roffensis, dum art. 18. ait: Multos fortasse movet indulgentiis non multum fidere, quod earum usus in Ecclesiâ videatur fuisse recentior, & admodum serò repertus apud Christianos. Quibus ego respondeo, non certò constare, à quo primum tradi cœperunt. De purgatorio apud præscos nulla vel rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usq; diem non est creditum, purgatorium esse. Nec tam necessaria fuit sive purgatorii sive indulgentiarum fides in primitivâ Ecclesiâ, atq; nunc est. Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsit indulgentias. Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cum itaq; purgatorium tam serò cognitum ac receptum fuerit universæ Ecclesiæ, quis jam de indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerit earum usus? Roffensem Episcopum sequitur Polydorus Virgilius lib. 8. de rer. invent. c. 5. Cœperunt igitur indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatûs aliquandiu trepidatum fuerat. Nec malè proinde judicarunt nonnulli, quos refert Gregorius de Valentia de indulg.

c. 2. indulgentiam Ecclesiasticam nullam pœnam remittere per se, neque in foro Ecclesiæ, neque in foro DEI; sed esse *pian* quandam fraudem, quâ Ecclesiæ per illam remissionis pollicitationem, homines allicitat ad exsequendum devotè ea opera pia, quæ in indulgentiæ formâ exiguntur, ut pro ratione ejus devotionis, & valore eorum operum DEO satisfiat, non autem per vim ipsius indulgentiæ: quemadmodum si mater parvulum ad currendum illicitat, promittendo illi pomum, quod postea tamen non dat. Quæ verba, etsi de satisfactione DEO præstandâ orthodoxæ fidei minus conformia sint, sufficienter tamen explicant, quousque in hâc de indulgentiis disputatione excurrere soleant ingenia, Scripturæ sacræ & antiquorum patrum testimoniis destituta.

VII. Justè igitur applicari hîc potest, quod monet Alphonsus à Castro *advers. heres. lib. 1. c. 14.* Ipsa doctrina novitas est de se suspecta, quoniam Christus & Apostoli ejus sufficientem doctrinam ad vitam eternam consequendam dederunt. Nec post legem à Christo datam est alia lex iterum à DEO danda, quoniam testamentum hoc est æternum. Si ergò aliquid novi nunc prædicatur, cujus nec vestigium habetur relictum ab Apostolis in Ecclesiâ usq; ad hanc diem, ipsâ rei novitate est suspectum, quoniam tunc oportet fateri, Apostolos non perfectè ac sufficienter prædicasse Evangelium, Ecclesiâq; quam docendam Spiritus S. suscepit, tam longò tempore fuisse in tenebris ignorantie. Nec profectò de antiquitatis suffragio gloriari multum possunt, qui doctrinam suam antiquiorem docere nequeunt, quam quod à temporibus Gregorii Magni inceperit primum. Vixit Gregorius ille ineunte sæculo septimo. Et frustra igitur erit, quisquis articulum fidei proponere, nec eum tamen ex Scripturâ sacrâ probare velit. Et fuit sanè ipso illo Gregorii ævo Ecclesiæ variis corruptelis & doctrinis ad placitum hominum confectis jam tum miserè contaminata.

VIII. Sed nec potest quidem testimonium aliquod in hoc negotio à Gregorio peti, quippe qui indulgentiarum talium nullam omninò in scriptis suis facit mentionem. Edidit quidem ille homilias aliquas ad populum in stationibus habitas, sed quid istæ faciant ad probandas indulgentias? Non enim, quia sequioribus temporibus Pontifices Romani stationibus in certis Ecclesiis addiderunt & promiserunt multas & magnas indulgentias, idè statuendum erit, etiam à Gregorio tales profusas fuisse. Quod si hæc illationis ratio sibi constaret, multo antiquior statui & ab ipsius Tertulliani ævo peti posset indulgentiarum origo, quippe qui & ipse stationum subinde facit mentionem, quod tamen vix quisquam ausus fuit ante Justum Rycquium Canonicum Gandavensem, qui in *Syntagm. de jubileo*, Tertulliani, in quibus de stationibus loquitur, testimonia protervè admodum in partes suas trahit. Quid enim verò fuerint eo tempore Stationes, optimè exponit Nicolaus Rigaltius in *Not. ad Tertulliani libr. de orat. pag. 43.* statos scil.

scil. fuisse dies, quibus ad martyrum sepulchra conventus indicerentur, atque ibi statim ab exortu Solis, orationibus, hortamentis, sacrarum lectionum interpretationibus vacantes, & jejuni, sed non ultra nonam perstarent; horâ nonâ post Eucharistiam & oscula, conventus & jejunia solverent. Has tunc temporis stationes, hanc castrorum disciplinam fuisse Christianis. Ad eundem modum Dionysius Petavius in *Epiphan. p. 356.* stationem definit religiosum fidelium officium, quo certis diebus ad synaxin adeuntes ibidem ad nonam usque jejuni perseverabant. *Indeque factum, ait, ut pro multitudine ipsâ conventuque nonnunquam accipi soleat stationis vocabulum.* Nihil verò tum de indulgentiis, nihil deliberatione animarum ex purgatorio, aut de minuendis cruciatibus purgatorii adhuc actum fuit. Proprius atque genuinus conventuum istorum finis fuit oratio atque deprecatio, & hic finis duravit adhuc tempore Gregorii, cujus in scriptis nihil omninò invenire licet, quod indulgentiis, uti hodiè describuntur, fulcrum aliquod supponere queat. Et ut maximè inventiatur, recurrendum tamen semper est ad primum illud, quod est ab Apostolis, à quâ simplicitate ut recedamus, nulli antiqui moribus & decretis suis nos obligare poterunt.

IX. Et quid verò nunc opus est, ut de potestate concedendi indulgentias solliciti simus. Statuunt Canonistæ & Theologi Ecclesiæ Romanæ communiter, potestatem istam Pontificem Romanum à DEO immediatè plenissimam accepisse: reliquos Episcopos à summo Pontifice & quidem restrictam atque secundum mensuram à Sede Apostolicâ determinatam habere: Sacerdotes verò Episcopis inferiores non posse jure communi dare & largiri indulgentias, sed solum ex commissione aut delegatione Pontificis Maximi vel Episcoporum. Quod si assertionis hujus probationes exigantur, recurrere illi solent ad prærogativas Petro Apostolo à Magistro datas sive per concessionem clavium, sive per commissum officium pascendi. At verò si vel maximè darentur indulgentiæ, & earum thesaurus, atque clavis, quæ ad eum aperiendum destinata esse dicitur, sub clavibus à Christo donatis contineretur. Similiter, etiam si daretur aliqua talis absolutio, & sub potestate absolvendi atque remittendi à Christo datâ comprehenderetur; tamen non sine gravissimâ injuriâ cæterorum Episcoporum Pontifex solum se faceret clavigerum thesauri hujus. Uti enim supra exposui, non Petro tantum, sed reliquis etiam Apostolis, quorum nomine ad quæstionem propositam responderat Petrus, eorumque successoribus æqualiter traditæ fuerunt claves. Quamvis enim in Petro personales quædam fuerint ἐξουσίαι seu prærogativæ, ut ordo vocationis ad Apostolatam, *Matth. IV, 18.* ætas major, *πρωτόπια* seu prima collocatio inter Apostolos, *Matth. X, 2.* *ἡγεμονίης* amoris erga Christum *Job. XXI, 15.* &c. propter quas etiam cæterorum os & orator fuit; tamen hæc omnia nihil aliud probant,

bant, nisi Petro competiisse primatum quendam ordinis inter Apostolos, & quidem ut inter Collegas seu collaterales, non autem ut subordinatos. Nulla autem hinc inferri potest prærogativa potestatis, neque successori- bus potius & majus quid tribui potest; sed sicut omnes Apostoli parem acceperunt potestatem clavium: ita quoque omnes ministri Ecclesiæ jure divino æquales sunt in pastoritio officio, nec possunt partem aliquam clavium usurpare, partem autem Episcopis solis vel etiam Papæ reservare.

X. Ridere oportet, quando Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 88.* istos sibi colligit flosculos, Episcopum in diocesi sua *plenas indulgentias ideò dare non posse, quia singularum diocesum thesaurus indulgentiarum generali thesauro commixtus non ita locuples est fortassis, ut inde plena remissio concedi possit, solo thesauro generali, qui Pontifici in universum commissus est, nunquam deficiente: hunc ipsum, quo plus inde hauritur, eo plus accipere incrementi, instar fontis vel putei semper uberius abundantiusq; scaturientis, propter operum piorum, quæ temporibus indulgentiarum fiunt, abundantiam: Papam posse dare sibi ipsi indulgentias, recipere enim eas, ut Ecclesiæ membrum, ut verò caput concedere: potestatem dandarum indulgentiarum non esse annexam clavibus ordinis, vel sacramento pœnitentiæ, sed clavibus jurisdictionis externæ: Episcopum in dedicatione Ecclesiæ unius tantum anni indulgentiam concedere posse, & in anniversario dedicationis vel aliàs solùm indulgentiam quadraginta dierum: indulgentias papales non solùm pœnitentiis à Confessariis injunctas auferre, verùm etiam pœnitentiis quascunq; ipsi justitiæ divinæ quomodocunq; debitas: Episcopum gaudere & frui posse indulgentiis, quas aliis concessit. Pudet & piget referre fuciles & commentitias sententias alias, quibus ut plurimum tractatus suos exornare solent indulgentiarum præcones, qui tamen absolvi à *περὶ πονηρίας* nequeunt, quando thesaurum istum pro ditioribus apertum esse volunt, nec pauperes ad ejusdem felicitatis usum facillè admittunt. Sic enim Augustinus de Ancona *de potestat. Pap. q. 30. a. 3.* Quantum ad remissionem pœnæ, quæ acquiritur per indulgentiam, in tali casu non est inconveniens, quod dives sit melioris conditionis, quàm pauper.*

## CAP. XV.

### De Potestate examinandi ordinandos.

#### I.

**I**nterest Ecclesiæ, ut habeat sacerdotes eruditione & virtute præstantes, tum & vitâ atque moribus irreprehensibiles. Utrumque enim hoc, eruditio scilicet & sanctitas vitæ, exigitur ab eo, qui, ut rectè se habeat cultus divi-